



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Bellum Sacrum Ecclesiae Militantis Contra Turcum
Communem Hostem Christianorum**

Vaux, Léonard de

Leodii, 1685

§. III.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64991](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64991)

dormiunt Christiani ; quia quisque longè à se Turcam, & se ab ejus jugo abesse autumat ; quâ in re errant omnes gravissimè. Idem censebant olim Constantinopolitani, Trapezuntii, Thraces, Bulgari, Bosnii, Servii, Hungari, cæteri que. At jam à Turca capti, errorem suum vident, & ferò, sed ferò lugent :

Felix quem faciunt aliena pericula cautum,

Alterius damno qui sapit, ille sapit.

Tam opportunam occasionem à Deo datam perdendi maximum Christiani Nominis hostem, arripiant Principes fideles, ne eos ferò sed ferò pœniteat.

§. III.

SÆvissimus Christiani Nominis, Hostis, ferox inimicus Crucis Christi ; superbus & impudens, sacrilegus, fœdifragus, in limine & penè in visceribus est Christianorum, & illi eum à se remotum dictitant : ô cœcitas ! ô stupor ! An expectandum ultimum excidium, quo opprimantur universi ? Venetis totique Italiæ inhia-

vit: Viennam fortissimum Christiani orbis propugnaculum, jam ter obsedit; & quidem anno præterito illam haud dubiè vi occupasset: nisi Deus exercituum fecisset potentiam in brachio suo: vincendo in suis Ducibus. Cæterùm adhuc Cretam, & Cæmænicum obtinet, nec præteritâ clade frangitur: novos conscribit exercitus, majora molietur, occasionem præstolatur seminandi zizania in agris fidelium, si vel modicum dormiant: semper enim vigilat hostis ille malignus, in perniciem Christianorum.

Quàm ob rem inducias cum Turcâ pacisci, est illi tempus dare, quo illicò more suo, imparatos Christianos adoriatur, & incautos opprimat. Utinam periculum hoc adeò, quàm certum est & præsens, conspiciant, & inuito contra eum communi foedere discutiant Christiani, dum res est integra, ne serò cum cæteris jam à Turcâ occupatis suum torporem, suaque diffidia accusent & defleant. Nunc cum domi rebellione gravi variâque agitur; cum ducibus, consilio, & ærario destituitur, cum Principes Catho-

lici tot victoriis, à Deo datis, ad Bellum Sacrum invitantur, tempus est opportunum illum totis viribus invadendi, & quasi certa spes profligandi: quod si oblatum à Deo exercituum tam opportunum rei bene gerendæ tempus, neglexerimus, serò poenitentes illud requiremus.

Nihil enim tam volucre est quàm occasio, nihil levius, cùm se offert, penditur, nihil magis, cùm abiit, desideratur, nihil periculosius amittitur, nihil denique difficilius recuperatur. Quis verò dubitet Turcam Italiæ & Christianis imminere? cùm Tunetanium Regnum ab eo occupatum, à Sicilia; Epirum, & Macedoniam, à Dalmatiâ, Forojulium, tenuissimo tractu videat disternari? cum Apollonia Turcico oppido, Hydruntum regni Neapolis urbem, antea quoque à Turcis possessam, unius noctis spatium annavigari posse intueatur? denique nuper omnium Christianorum luctu expugnata Candia, commune est omnibus periculum.

Quid Hispanis, Italis, Gallis infidiosius, Alligerio? quid Fefsâ, Mar-

roco, Bisertâ, & totâ illâ Afrorum,
 vafrorum societate est infestius? An
 Gallia ergo expers? nequaquam: Ma-
 ria quæ utramque ejus partem alluunt,
 adeo Turcicis sunt infesta latrociniis,
 ut non ora, non sinus, non portus ali-
 quis tutus, & eis non exploratus esse
 videatur: quocirca Joannes ille Tar-
 novius Comes, qui sæpius Poloniæ
 exercitibus victor præfuit dictitabat:
 „Omnia Poloniæ Comitata, præci-
 „puam Belli Turcici meditationem
 „esse debere. Idem dicas de Comi-
 „tatis Germanicis, Gallicis, Italicis, Hi-
 „spanicis. Celebre est illud Græcorum,
 apud Pachymerem *Lib. 5. Historiæ.*
 „Cum hostibus Crucis geratur Bel-
 „lum, ubi & victoria, laudabilis est,
 „& vinci salutare. Item. Pax colenda
 „ubi Dei jacturam non facimus, Bel-
 „lum gerendum, ubi Religio periclita-
 „tur, totaque Respublica.